INDULTO

DI

PAPA BONIFAZIO IX.

CONCESSO

AD ANTONIO LOSCHI VICENTINO

ARCIPRETE IGNOTO DELLA CHIESA PATAVINA

E

CANONICO SUCCESSORE DEL PETRARCA

PADOVA

DALLA TIPOGRAFIA SICCA

1851

A SPESE DI GIOVANNI DA SCHIO

BONIFACIUS Episcopus (1), servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Vicentino, et dilectis filiis Abbati monasterii sanctae Justinae Paduanae, ac Archidiacono Ecclesiae Papiensis, salutem et Apostolicam benedictionem. Nobilitas generis, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis ac virtutum merita, super quibus apud Nos dilectus filius Antonius de Luschis de Vincentia, Archipresbyter Ecclesiae Paduanae, fide dignorum commendatur testimoniis, nos inducunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, Canonicatus et Praebenda dictae Ecclesiae, quos quondam Franciscus Petrarca (2), ipsius Ecclesiae Canonicus, dum viveret obtinebat, per dicti Francisci obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint, et vacent ad praesens, Nos volentes eidem Antonio, qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus, et Papiae scolaris in artibus existit, praemissorum intuitu gratiam facere specialem, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium

seu alios Canonicatum et Praebendam praedictos, quorum fructus, redditus et proventus ducentorum et sexaginta ducatorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt ...... jus modo aut ex alterius cujuscumque persona vel per assecutionem alterius beneficii ecclesiastici Apostolica auctoritate collati vacent etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio secundum Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existant, et persona, per cujus factum ultimo vacaverunt Sedis praedictae Cappellanus vel alias officialis aut fructuum et proventuum Camerae Apostolicae debitò collector, vel sub collector, seu alicujus ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus familiaris fuerit dummodo tempore datae praesentium non sit in eis alicui specialiter jus quaesitum cum plenitudine Juris canonici ac omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Antonio auctoritate nostra conferre et assignare curetis. Inducentes eum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Canonicatus et Praebendae, juriumque et pertinentiarum praedictorum et defendentes inductum (amoto exinde quolibet illicito detentore), ac facientes ipsum Antonium vel dictum procuratorem pro eo in praedicta Ecclesia ad eamdem Praebendam in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro

et loco in Capitulo ipsius Ecclesiae cum dicti juris plenitudine assignatis sibique de ipsorum Canonicatus et Praebendae fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra appellatione post posita compescendo. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius Ecclesiae contrariis, juramento confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui Apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem Ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant. Seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et Praebendis in dicta Ecclesia speciales aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales praedictae Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus praefatum Antonium in assecutione dictorum Canonicatus et Praebendae volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem Canonicatuum et Praebendarum, aut beneficiorum aliorum praejudicium generari. Seu si venerabili fratri nostro...... Episcopo, et dilectis filiis, Capitulo Paduano, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod

interdici, suspendi, vel excommunicari non possint quandoque de Canonicatibus et Praebendis ipsius Ecclesiae, aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per Litteras Apostolicas non facientes plenam ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia praedictae Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris Litteris mentio specialis. Aut si praefatus Antonius praesens non fuerit ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius Ecclesiae solitum juramentum dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum, et cum ad Ecclesiam ipsam accesserit corporaliter, illud praestet. Seu quod nuper eidem Antonio, ut asseritur, de Archipresbyteratu Ecclesiae praedictae tunc certo modo vacante, et antea dispositioni Apostolicae reservato, cujus fructus, redditus et proventus ducentorum florenorum auri, secundum aestimationem praedictam, valorem annuum non excedunt, per nostras Litteras duximus providendum, et de uno ad praedicti, et de duobus aliis beneficiis sine cura ad Vicentinorum pro

tempore existentis (*sic*) Episcoporum collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinente seu pertinentibus vacante vel vacantibus, aut vacaturo, vel vacaturis, gratiose concessimus provideri. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum tertia Idus Februarii, Pontificatus nostri anno primo (3).

BENINCASA

(*tergo*) NICOLAUS DE PIPERNO.

NOTE

(1) Bonifazio IX. fu eletto Papa il giorno 2 Novembre 1389.

(2) Petrarca morì li 18 Luglio 1374. La Prebenda canonicale da lui posseduta in Padova oggidì ha titolo di S. Giacomo. Monsignore Orologio trovò poche memorie del gran Poeta nell'Archivio Capitolare, li cui Atti non risalgono il 1393. Per ciò solo non può avere riconosciuto il Loschi nè come Arciprete, nè come Canonico; ma siamo di avviso che non lo avrebbe trovato in quegli stalli nemmeno se i documenti abbondassero ivi sopra quel tempo. Loschi non fu mai teologo, nè sacerdote. In faccia a questo solenne documento di Bonifacio IX. non si può dubitare ch' egli non venisse eletto alle suddette dignità, ma è probabile che altra ragione non vi avesse, se non l' aspettativa, la quale svanì col perdere che fece il Duca di Milano, suo protettore, la signoria di Padova appunto poco dopo che fu dettato questo diploma.

(3) Questo documento è tratto da una Vita inedita di Antonio Loschi, che fu celebre uomo di lettere e di Stato del secolo XV., Segretario di Giangaleazzo Visconti e di Papa Martino V., ec.; perno, intorno a cui si aggirarono i Poggi, i Salutati, gli Aretini, i Filelfi. L'originale esiste nell'Archivio della fu famiglia Loschi in Vicenza, nel volume intitolato *Seconda giunta libro pergamene*. Le interruzioni punteggiate dipendono da abrasioni od altri difetti della membrana, meno quella ove il nome del Vescovo di Padova è obbliato dall'abbreviatore.